

de quod non potest virtute Jubilæi eligi ad audiendas confessiones aliarum personarum, aut extra ecclesiam sibi designatas, & sic tanto magis ad audiendas confessiones monialium sine specifica approbatione pro ipsis; Viva, g. 9. art. 2. Molfesius, Pellizzarius, Alfons. de Leon, Faustus, & alii. Et sic etiam potest dici, quod approbatus pro monialibus unius monasterii, neque tempore Jubilæi censetur approbatus pro monialibus alterius monasterii; cum Clemens X. in sua constit. incip. Superna absolute, & simpliciter statuatur, ut jam declaraverat Sac. Congr. Concil. super concilio Gregor. XV. Inscrutabili, in responsione ad nonam: *Approbatus pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.*

13 Confessarius presentatus ad confessiones excipiendas monialium regularium subiectarum, debet vel absolute rejici, vel per totum triennium approbati, non vero ad tempus brevius, prout declaravit, & respondit Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Canonicis. ad favorem P.P. Minorum de Oberantia, sub die 4. Maji 1696. rescribendo Episcopo prout sequitur: *Riferito in Sacra Congregazione dall' Eminentissimo D' Adda tutto cio che V. S. ha rappresentato in ordine all' approvazione fatta da lei per un sol anno del Confessor ordinario deputato dal Provinciale della provincia osservante di Sicilia per le monache del monasterio di S. Chiara d' Adorno di coesta diocesi, soggetto all' ordine d' minori osservanti di S. Francesco, questi Eminentissimi miei Signori sono stati di senso che ella o ammetta il Confessor deputato a compire il triennio, o assolutamente lo rigetti, e che in avvenire debba così osservarsi dal principio dell' approvazione di simili Confessori. Glielo signifi- ca, e il Signor Iddio la prosperi. Nulla ex monialibus, quæ subijciuntur regularibus, sentiens se non gravatam mortali culpa, potest de venialibus valide confiteri sacramentaliter cuiquamque sacerdoti non approbato ab Ordinario, prout rescripsit Sac. Congr. Concilii, in Januariis. 9. Junii 1557. apud Nicol. in lucubr. canon. l. 2. lib. 3. tit. 1. n. 11. Pascuc. in compend. ad consulti. Canon. Jacobi Pignatelli. part. 2. tit. de monialibus.*

15 Quoad dicta in hoc art. n. 4. advertendum nunc est, prælatos regulares, scilicet generales, & provinciales posse licite, & valide excipere sacramentales confessiones monialium sibi subiectarum absque approbatione, & facultate Episcoporum solidissime ostendi, & probavi in Appendice, Tracl. XI. Cursus Theologiæ Moralibus celeberrimi Collegii Salmaticensis, Edition. Veneta, anni 1755. apud Nicolaum Pezzana c. 6. punct. 2. §. 1. num. 74. ad questionem: An prælati regulares indigeant speciali approbatione Episcopi diocesani pro excipiendis confessionibus monialium, quæ sub gubernio eorum existunt? Relatis prius contrariis, statim sub n. 75. sic concluditur: Sed his non obstantibus, dicendum est, prælatos regulares, scilicet generales, & provinciales non indigere approbatione Episcoporum, ut confessiones monialium, quæ ipsorum regularium jurisdictioni subduntur, licite & valide excipere queant. Quæ quidem sententia definita fuit auctoritate, & declaratione SS. D. N. Benedicti XIII. quæ in Bulla incip. Pastoralis officii, §. 8. sic expressè præsentem difficultatem resolvit, ibi: *Ab hujusmodi tamen lege & ordinatione ad supplicationem dilecti filii nostri Ludovici S. R. E. Cardinalis Belluga, & Monacha nunciati, eximimus superiores generales, ac etiam provinciales ejusdem ordinis regularis quibus, ut confessiones monialium sibi subiectarum dumtaxat absque iustismodi speciali approbatione Episcopi diocesani audire licite & valide possint, permittimus, & indulgemus.* Et ibidem, n. 76. sic subiungitur: *Probatum resolutio hac unica ratione, (qua fortè motus idem Pontifex Benedictus hanc exceptionem posuit) quia quoties aliquis est verus parochus respectu aliquorum, non indiget approbatione Episcopi pro audiendis eorum confessionibus; sed prælati regulares, generales, & provinciales sunt veri parochi suarum monialium; ergo possunt absque speciali Episcopi approbatione illarum confessiones audire. Probatum minor. Generalis, & provinciales habent jurisdictionem ordinariam in moniales, quæ sunt sub eorum regimine, sicutque veri earum Pastores, non secus ac domini Epis-*

copi; (sic diximus de privilegiis, c. 4. n. 1. & 2.) sed Episcopi sunt vere parochi suorum ovium; ergo, & prælati regulares, generales, & provinciales sunt veri parochi suarum monialium. Confirmatur. Nam Summus Pontifex conferens superioribus religionum jurisdictionem ordinariam in ordine ad confessiones monialium illis subiectarum, ipso facto illos iudicat idoneos, & consequenter illos approbat. Si ergo illos approbat, Episcopi approbatio minime requiritur. Explicatur. Jurisdictio ordinaria expedita, & absoluta est officio generalis, & provincialis annexa; sunt enim parochi respectu suorum subditorum, & ad obinendam generalis, vel provincialis &c. nulla requiritur Episcopi approbatio; ergo nec ad fructum jurisdictionis ordinariæ expeditæ & absolute opus est illis Episcopi approbatione; ergo nec pro audiendis confessionibus monialium suæ jurisdictionis erit necessaria. *Hæc ibi ad litteram;* Nec valet dicere, quod dicta constitutio edita fuit tantummodo pro regnis Hispaniarum; non valet, inquam, quia etiam constitutio Benedicti XIV. incip. Suprema, edita fuit solummodo pro regnis Portugallia, & Algarbiorum, & confirmata pro dictis regnis alia ejusdem Pontificis constitutione incip. Ubi primum. Et tamen idem SS. Pontifex ad eliminandas erroneas opiniones, ac pravas interpretationes quorundam Doctorum volentium dictas duas constitutiones, utpote ad Lusitanie regnum ac ditionum opportunitate accommodatas, & pro hisdem solummodo emanatas extra ipsa regna non obligare, & generalis definitionis & legis vim & auctoritatem habere temere negantium (sunt vera Pontificis aliam edidit constitutionem incip. Ad eradicandum pravum, qua declaravit dictas duas constitutiones, quæ quibusdam solummodo pro Lusitanie regnis atque ditionibus, tamen ubique locorum ac temporum generalis definitionis & legis vim & auctoritatem habere. Et quidem merito; ubi enim eadem est ratio, eadem est legis dispositio. leg. Ideo 27. ff. de legibus, leg. Illud 31. ff. ad leg. Aquilianam, cap. Inter corporalia 2. de translat. Episc. tum similibus; cum ratio legis sit anima legis; leg. Cum ratio, ff. de bonis damnatorum. Videantur leg. 7. tit. 17. lib. 4. For. Reg. 15. tit. 6. part. 1. tit. 14. & 15. part. 2. 7. tit. 15. part. 4. 2. tit. 4. part. 5. 7. tit. 7. part. 6. 6. & 21. tit. 15. part. 7. 15. tit. 13. lib. 8. Ord. Reg. l. tit. 3. lib. 2. 1. tit. 18. 13. tit. 23. lib. 8. Recop. Castelle: in quibus casus diversi prescribuntur, denotantes quod ubi est eadem ratio, non discrepat legis dispositio.***

¶ Ex quo Benedictus XIII. in Bulla incip. Pastoralis officii: ut notat clarissimus Auctor (quamquam mihi percurrunt constitutiones præfati Pontificis nullatenus occurrerit), pro Hispaniarum indulserit generalibus, & provincialibus superioribus, ut monialium sibi subiectarum confessiones absque Episcopi approbatione audire possint; quomodo inde regula generalis firmetur, idem eis ubique locorum licere, non video. At, inquit Benedictus XIV. constitutiones Suprema, & ubi primum editas pro Portugallia ditionibus, in alia constitutione. Ad eradicandum, declaravit ubique locorum definitionis vim sibi vindicare. Verum ineluctus Canonista non ignorat differentiam, quæ intercedit inter constitutiones, quæ pravum aliquod dogma, vel reprobandum aliquam consuetudinem rectæ sacramentorum administrationi adversantem, damnant, & constitutiones aliquod speciale privilegium largientes. Priores firmæ & immobilem ubique locorum habent auctoritatem. Alia vero provincialium limites, in quorum favorem concessæ sunt, non excedunt. Hæc vel ipsis tribus notissima sunt. Ex his prudens discere potest lector, non omnia privilegia, quæ nonnumquam à quibuscumque venditantur, seculo examine esse admitenda.¶

¶ Num moniales ex lege foundationis, tum ex consuetudine jus habere queant eligendi in Confessarium aliquem ab Episcopo approbandum? Affirmat Zypæus, consulti. canon. lib. 3. tit. de regular. consulti. 5. num. 7.

De eo quoque novissime disputatum fuit in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium negotiis præposita, an moniales ex consuetudine eligere in Confessarium valeant aliquem de approbatis ab Episcopo, fierique ab ipsis hæc electio possit absque interventu Episcopi, vel alterius ab ipso destinandi, & demum teneatur Episcopus

pus Confessarium ab iis electum confirmare; resolutumque fuit: posse moniales vigore consuetudinis eligere in Confessarium aliquem de approbatis ab Episcopo, modo tamen approbatus ille sit pro monialibus; & electionem fieri posse ab iis absque Archiepiscopi, vel ejus deputati interventu; & teneri Episcopum Confessarium electum confirmare, quatenus non adsit legitima causa non confirmandi. Vide resolutiones in Brundisina Januarii 1574. & Februarii 1755. ad a. & 3. dub. ¶

AQUA BENEDICTA.

SUMMARIUM.

- 1 Aqua benedicta est duplex & que sit, ad n. 2.
- 2 Diaconi nequeunt aquam lustralem benedicere.
- 3 Aqua lustralis benedictio, si ferat à sacerdote excommunicato, vel suspenso, ipse sacerdos evaderet irregularis.
- 4 Aqua benedicta non est Sacramentum, sed solum est quoddam sacramentale.
- 5 Aqua lustralis benedictio est facienda singulis quibusque diebus dominicis (exceptis dominicis Pasche, & Pentecostes).
- 6 Aqua benedicta aspergendus est populus, & altare cum antiphona Asperges, vel alia que pro tempore occurrit, & Psalmo, vel versu Misere mei Deus.
- 7 Hac aqua benedicta aspersio in dominicis diebus fieri debet per ipsum celebrantem, etiam quod sit prima dignitas, vel alia dignitas, non obstante contraria consuetudine.
- 8 Aqua benedicta aspersio debet fieri singillatim quibuscumque dignitatibus, & canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextero cornu existunt, non unico actu in circumlo.
- 9 Aqua benedicta, vel oleum benedictum, si defecere videatur, & alia aqua benedicta, vel oleum benedictum haberi non possit, potest reparari per additionem alterius aquæ non benedictæ, vel respectivè alterius olei non benedicti in minori quantitate.
- 10 Aquæ benedictæ aspersorium Episcopo accedenti ad ecclesiam debet ministrari à prima dignitate, vel dignitate canonico.
- 11 Accedenti vero ad ecclesiam collegiatam, seu ad quamcumque aliam, etiam regularium, porrigen- dum est à digniore illius ecclesie, ad quam accedit Episcopus, sive Legatus, sive alius Prelatus, non vero à prima dignitate, vel primo canonico ecclesie cathedralis quatenus ibi adsit.
- 12 Prælato Referendario, & Governatori civitatis accedenti ad ecclesiam datur aqua benedicta per contactum aspersorii ab aliquo ministro Cotta induto, non autem per traditionem aspersorii, quo se ipsum signet, & alios per asperionem.

1 Aqua benedicta est duplex: Una ordinata ad consecrationem, vel reconciliationem ecclesie pollutæ sanguine, vel semine, quæ benedicitur solum ab Episcopo cum vino, & cinere, ut in cap. Proposuiti 4. & cap. Aqua 9. de consecrat. eccles. vel altaris. Alia ordinata ad asperionem hominum, vel domorum, & aliarum rerum inservientium ad usum nostrum, & ad repellendos invisibiles inimicos, quæ benedicitur à sacerdote cum sale, ut in cap. Aquam sale conspersam, de consecr. dist. 3. Quam Diaconi benedicere non possunt, ut colligitur ex dict. capit. Aquam sale &c. & ex cap. Perlectis, §. Ad Presbyterum, dist. 25. ubi dicitur quod ad Presbyterum pertinet benedicere dona Dei. Et idem cum hujus aquæ lustralis benedictio certi ordinis sacerdotalis, si ferat à sacerdote excommunicato, vel suspenso, ipse sacerdos evaderet irregularis, arg. cap. Si quis Episcopus 1. & 2. caus. 11. quest. 3. cap. Cleric. cap. Latores, cap. Illud, & cap. Fraternalitatis, de Clerico excommunicato celebrante.

2 Aqua benedicta non est sacramentum, quia non infundit gratiam, nec remittit peccata ex opere operato, sed solum est quoddam sacramentale aliquo modo delens ve-

nialia, in quantum excitat mentem ad quamdam elevationem, & devotionem actualem, quæ est virtualis contritio de venialibus, ea diluens; unde aqua benedicta habet virtutem hominum sanctificativam; in quantum excitat devotionem, & purificativam, in quantum per eam venialia diluuntur, & ablutivam sterilitatis rerum mundanarum, sicut sal sub Elisæo sanavit aquæ; & terræ sterilitatem. 4. Reg. cap. 2. n. 20. 21. & 22. & virtutem aversivam insidiarum diaboli, & defensivam malis phantasmatis. Alexander I. epist. 1. c. 5. & c. Aquam sale conspersam 20. dist. 3. de consecrat. ubi sic præcisè habetur: *Aquam sale conspersam... populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus; nam si cinis virule sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinitus præcibus sacra populum sanctificat, atque mandat. Et si sale asperso, per Elisæum prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacraus. Sal sterilitatem rerum auferit humanarum, & coquinatos sanctificat, atque mundat, & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & à phantasmatum detritiis homines defendit; & sic colligitur etiam ex cap. Nec quamquam, dist. 4. de consecr. ¶ Quod aqua lustralis, seu benedicta, ex opere operato delet peccata venialia, est plurimum Auctorum, & quidem gravissimorum, opinio apud Paulum Matiam Quarti de benedictionibus; tit. 1. sect. 3. dub. 5. & tit. 3. prælad. 3. & Dianam, part. 3. tracl. 4. resol. 61. quam opinionem Didacus Nugnus, in 3. part. 1. 2. q. 87. art. 3. diff. 2. sic defendit. Sicut sacramenta novæ legis elevarunt à Deo ad causandam gratiam physicæ, & realiter perverum contactum physicum realem ad modum rerum naturalium, quia scilicet materia sensibilis verè tangit animam tactu reali, non quidem tactu quantitativo, propter quod appellatur contactus virtualis; est nihilominus contactus realis, & entiativus, sicut Angelus verè, & realiter tangit coelum, quando illud movet. Ita similiter aqua benedicta elevaratur à Deo, ut verè, & realiter tangat animam tactu illo, qui appellatur virtualis, propterea quod non est quantitativus, & nihilominus ille contactus est realis, & entiativus, quo medio aqua movet ipsam animam, & remittendo, & realiter corrumpendo veniale peccatum. Et sicut in adultis semper requiritur aliquis actus, ut sacramenta causent gratiam; qui tamen actus vel non est secundum se sufficiens ad tantam gratiam, quanta est illa, quæ causatur de facto in sacramento: & sic verum est, quod sacramenta causent gratiam ex opere operato; ita similiter licet ad hoc, quod aqua benedicta remittat peccata venialia, semper requiritur aliquis actus, tamen vel actus non est sufficiens ad peccata venialia remittenda, vel saltem non est sufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittuntur per aquam benedictam. Et sic verificatur propriè, & rigorosè, quod ipsa aqua benedicta ex opere operato remittit peccata venialia, ad quod tamen non est necessarium, quod maneat in illa aliqua qualitas permanens, sed sufficit ipsa elevatio divina, quæ est motus transiens; Ita Nugnus, loc. citat. Bellarminus, lib. 3. de eccles. triumph. cap. 7. ait expressè, aquam benedictam valere ad deletionem venialium. Et deinde ad probandum, quod rectè ad effectus supernaturales efficiendos, & significandos utitur aqua, oleo, aliisque rebus benedictione consecratis, subiungit, quod quemadmodum sanguis Christi applicatur per Baptismum, & Pœnitentiæ sacramentum, ad delenda omnia peccata; ita etiam applicatur per sacramentalia, & orationem dominicam, ad delenda venialia in eo, qui est in gratia. Et lib. 2. de Sacram. cap. 31. concludit, esse probabile, posse ecclesiam instituire novas ceremonias, ut exorcismos, aquam benedictam, &c. non quidem ad justificandum ipsum; sed ad alios effectus spirituales, per applicationem Christi meritum: ita ut opere operato illos effectus producant, quomodò sacramenta ex opere operato justificant. Christus enim sine dubio meruit ecclesie suæ, non solum gratiam, sed etiam omnia alia beneficia, quæ illi utilia esse possunt. Et quidem ad gratiam, & justificationem impii consequendam, instituit ipse Sacramentum, quibus applicetur ip-*

BIBLIOTECA CENTRAL
U. N. N. L.

suis merita; nec licet jam alia signa instituire ad effectum illum principalem: ad alia beneficia minora reliquit ecclesie potestatem, ut instituat signa, quibus applicentur ipsius merita. Hæc Bellarminus; vide etiam Azorium, *parit. 1. leg. 4. cap. 11. quest. 4.*

Prodest etiam aqua benedicta, aspersa super sepulchra, animalibus purgatorii; apud Mendo, in *Append. ad Bull. Cruc. disp. 4. cap. 2.* habemus, quod in *perillustri Canonico. regul. S. Augustini Canobio Legionen. sub titulo S. Isidori extructo, extat in Bibliotheca Vna S. Martini Canon. Reg. ibidem sepulchri, in qua refertur, eum, dum viveret, familiaritatis habuisse colloquia cum anima sacerdotis defuncti in purgatorio vexata, ab eaque plura didicisse circa animarum cruciatu, inter que id fuisse illi significatum, animas purgatorii refrigerium in cruciatu ignis sentire, quoties fideles sepulchra suorum corporum aqua benedicta aspergebant, idque in se ipsis experiri, quod experitur quis in hac vita, dum nimio calore vexatur, si aspergatur aqua. Hinc P. Cavalieri in agenda defunctorum, cap. 15. decret. 48. num. 4. non sine fundamento asserit, aspergi cadaver aqua benedicta non tantum ad expellendos demones, ne ei illudant, aut fidellum orationes impediunt; sed etiam in symbolum desiderii nostri, quo defunctorum animas cælesti rore aspergi optamus, unde illis purgatorii ardor mitigetur, & omnimodò extingatur. Ex veteri quodam libro sacerdotali Marsilius Columna in *Hydragiologia, sect. 2. cap. 2.* profert etiam hoc decretum à Nannetensi Synodo promulgatum: *Omnibus diebus dominicis unusquisque presbyter in sua ecclesia ante missarum solemniam aquam benedictam faciat, in vase nitido, & tanto mysterio conveniente, de qua populus intrans ecclesiam aspergatur; & atrium ejusdem ecclesie cum crucibus circumcundo similiter aspergat, & pro animalibus ibidem quietentibus orat. Eadem sermo recitant Centuriatores, cent. 10. cap. 6. ex lib. 1. Rhegionis, de disciplina ecclesiastica, cap. 110. & ex Burchardo Vormacensi, lib. 2. cap. 12. P. Meratus in Gavantu, tom. 1. part. 4. tit. 19. num. 1. Atque inde fortassis orta consuetudo illa, quam stetit apud priscos ecclesie fideles tradit ex Casalo P. Cavalieri in agenda defuncti, c. 15. decret. 9. num. 6. tum crucem, tum aquam benedictam in sepulchris ipsis una cum cadaveribus recondendi. Consule P. Raynaudum, in *heteroclit. spiritual. tom. 15. part. 2. sect. 3. punct. 12. quest. 5. & tom. 16. sect. 2. punct. 5.* ubi suo more doctrinam hanc mirifice illustrat. ¶**

6 Aqua laustralis benedictio est facienda singulis quibusque diebus dominicis (exceptis Pascha, & Pentecostes; ut habet Gavantu, ex *missali Rom. in manuali Episc. verb. Aqua benedicta.*) Et ea aspergendus est populus, & altare cum antiphona *Asperges*, vel alia, quæ pro tempore occurret, & Psalmo, vel versu, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Sic expressè Concil. Ravennatense sub Clem. V. cap. 9. Leo IV. *homil. de cura pastoralis, Concil. Mediolanen. 1. part. 2. tit. de officio. Sacriste.* Et hæc aqua benedicta aspersio in dominicis diebus fieri debet per ipsum celebrantem, etiamsi sit prima dignitas, vel alia dignitas, non obstante contraria consuetudine, quæ potius corruptela, quam consuetudo dici debet, cum sit contra rubricas missalis romani, & dispositionem caeremonialis Episcoporum. *lib. 2. c. 30.* quæ tollit omnem contrariam consuetudinem. Sac. Congreg. Rituum, in *Perusina 29. Novembris 1632.*

9 Et quoad hujus aquæ benedictæ asperionem est sciendum, debere fieri singillatim quibuscumque dignitatibus, & canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextero cornu existunt, non unico actu in circulo. Sac. Congreg. Rit. in *Perusina, 20. Decembr. 1501.*

10 Aqua benedicta, vel oleum benedictum, si deficere videatur, & alia aqua benedicta, vel oleum benedictum haberi non possit, potest reparari per additionem alterius aquæ non benedictæ, vel respectivè alterius olei non benedicti in minori quantitate; quia tunc tota aqua fiet benedicta, sicuti totum oleum redditur benedictum: *cap. Quod in dubis 3. de consecrat. eccles. vel altar. quia ut ait Gloss. ibi verb. Consecrato: Sacrum tanquam dignius trahit ad se non sacrum.* Et sic disponit rituale ro-

manum, *rubr. de sacrament. Baptismi, & Extrema-Uncionis.* Et talis creditur esse voluntas ecclesie, quam usus, & Doctorum traditio confirmat.

Aqua benedictæ aspersorium Episcopo accedenti ad ecclesiam debet ministrari à prima dignitate, vel digniore canonico. Sac. Cong. Rit. in *Salamantina, 16. Julii 1605. & in Suranen. 12. Martii 1612.* Accedenti verò ad ecclesiam collegiatam, seu ad quæcumque aliam, etiam regularium, porrigendum est à digniore illius ecclesie, ad quam accedit Episcopus, sive Legatus, sive alius Prælati; non verò à dignitate, vel primo canonico ecclesie cathedralis, quatenus ibi adsit; Sac. Cong. Rit. in *Caraminens. 15. Martii 1608. ibi:* "Sac. Rit. Congr. inhærendo aliis decretis aliis hæc de re emanatis censuit, aspersorium aquæ benedictæ porrigendum esse Episcopo à Priori ecclesie collegiatæ, dum ibi accedit Episcopus; non autem à prima dignitate, vel primo canonico ecclesie cathedralis, *Idem resoluti in una Bononiens. 14. Februarii 1632. ibi:* Sac. Rit. Congr. respondit, aspersorium Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Legato aliquam ecclesiam occasione publice processionis, seu quæcumque alia de causa ingrediendi, non ab Archidiacono, seu aliis de Capitulo metropolitanæ porrigi debere, sed à digniore illius ecclesie, ad quam Eminentissimus, & Reverendissimus Cardin. Legatus accedit, & ita imposterum servari mandavit. Et iterum die 8. Febr. 1648. ibi: Sac. Rit. Congr. respondit, Episcopo Rhegensi extra suam cathedrali in aliam ecclesiam, sive secularium, sive regularium ingrediendi aspersorium porrigi debere per digniorem illius, ad quam Episcopus accedit, & nullo modo per dignitates, aut canonicos cathedralis, & ita in casu proposito servari mandavit." Et rursus declaravit die 12. Martii 1665. in causa inter Archiepiscopum, & Abbatem, ac Monachos S. Vitalis Ravennæ, quod accedente Domino Archiepiscopo ad præfatam ecclesiam una cum Capitulo Metropolitanano ad exercendum pontificalia in die festo, debet Abbas tradere, & porrigere aspersorium aquæ benedictæ eidem Archiepiscopo immediate, non autem Archidiacono, vel alteri de capitulo, qui illud porrigat Archiepiscopo. Et cum fuerint pro parte dicti capituli exhibitæ articuli ad probandum ex literis remissorialibus antiquam consuetudinem porrigendi per Abbatem aspersorium primæ dignitati, eadem Sac. Cong. die 6. Junii 1666. *denegandas esse censuit.*

Prælato Referendario, & Gubernatori civitatis, accedenti ad ecclesiam datur aqua benedicta per contactum aspersorii ab aliquo Ministro Cotta induto, non autem per traditionem aspersorii, quo se ipsum signet, & alios per asperionem, ut auditis partibus Sac. Cong. Rit. *declaravit in Aesina 7. Junii 1704.*

*** Aqua benedicta non se signat sacerdos, dum è sacristia celebraturus procedit. Sic expressè erudiiss. P. Cavalieri in agenda defunctorum, c. 12. n. 3. ubi ineluctabile argumentum desumit ex rubrica, quæ nulla mentione facta super crucis signo, sacerdotem manu sinistra tenentem cælicem, & manu dextera super bursam ad altare facit incedere; ubi quoties requirit signum crucis, illud semper aperire indicat. Et urget adhuc, quod eadem rubrica, cruci tum sacristia, tum altaris majoris, si ante illud sacerdotem transire contingat, velato capite reverentiam præscribit, ne detracta è bursa manu (concordes exponunt Auctores), aliquid è calice decidat. Hinc, quum quid simile facile evenire posset, si sacerdos, dum è sacristia ad ecclesiam procedit sumere deberet aquam lastralem, & se signo crucis signare, & aliunde insuper factæ humectaret bursam; quid unquam persilentium super crucis signo credi potest voluisse ecclesiam, nisi quod hoc minime fiat? Hæc ille; & quidem rectè, nam hanc præxim vigere apud sacerdotes rubricam exactos observatores scio.***

¶ Notat insuper idem Cavalieri *loc. cit. num. 2.* ex Severo Patriarcha Alex. in *Ordin. Oblationis, Biblioth. PP. Thom. 12. pag. 734. edit. Lugd. 1677.* quod antiqui ante amictum tunc se signabant, & manu tantum; rubrica verò signi crucis non meminit unde præter rubricam deprehenduntur agere, qui hoc loco se signant, & adhuc peccant contra consuetum morem, qui in hujusmodi signo

no à fronte ad pectus ducunt amictum. Immo petita venia fidenter subjungit, quod se gerunt contra rubricam, quam credit substituisse oscula crucum in amictu, manipulo, & stola loco trium signorum crucis, quæ summationi sacrarum vestium veteres solebant præmittere. Ex quibus tandem n. 3. concludit, superfluum adhuc esse illud signum crucis in egressu sacerdotis è sacristia, quod jam idem sacerdos in sacristia aquivalenter egit in recessis oculis trium crucum, & formaliter statim debet agere, antequam ante altare missam inchoet, juxta illum consuetum in ecclesia morem iactum quolibet auspiciandi à salutifero crucis signo. Hæc P. Cavalieri, qui eandem quæstionem denuo proponit, & similiter resolvit *tom. 5. Oper. & 7. n. 26.* novisque argumentis, & auctoritatibus confirmat; quibus addi potest P. Laboranti *lib. 1. Direct. sac. part. 2. tit. 2. n. 141.*

Licet hic nonnullas quæstiones ponere ad ejusdem materiae complementum aliquod. Primo igitur quæritur: Utrum unica benedictione possint benedigi plures fontes aquæ inter se distantes? Respondet P. Quarti *tit. 3. de benedict. sect. 1. dub. 3. n. 209.* posse validè, & licitè, modo sint coram benedictionis ministro, & modo idem minister post orationes, vel exorcismos accedat ad singulos fontes, quando faciendi est mixtio salis cum aqua. Ratio est, quia sufficit præsentia moralis coram ministro. Quæritur secundo: An liceat aquæ benedictæ miscere parum aquæ rosaceæ ob fragrantiam? Respondet P. Quarti *cit. dub. 5. n. 211.* in parva quantitate non esse illicitum; tum quia nulla apparet indecentia, tum quia consuetudo ita obtinuit, scientibus & non contradicentibus Episcopis; tunc denique à pari, quia cum incenso benedecendo misceri solent alia aromata melioris odoris.

Quæritur tertio: An, & quale peccatum esset, si quis exponeret aquam non benedictam pro benedicta? Respondet P. Quarti *cit. dub. 6. n. 212.* si id fieret data opera, vel ex gravi negligentia, fore peccatum veniale, secluso contemptu, vel fine moraliter malo; quia in hoc non apparet irreverentia gravis contra religionem, nec grave damnum aliorum; sicut nec graviter peccaret, qui daret alteri candelam non benedictam pro benedicta. Nec valet paritas reliquiarum, in quibus hujusmodi frans committi nequit sine peccato lethali: quia sanctorum reliquæ sunt in superiori ordine rerum sacrarum, & majori veneratione dignæ. De facto nunquam permittit ecclesia sacras reliquias in terram projici, vel conculcari, cum tamen sepius contingat aquam benedictam in terram cadere, quando asperguntur fideles, nec ulla adhibetur cautela, ne à præterentibus teratur pedibus.

Quæritur quarto: Utrum ad consequendos effectus aquæ benedictæ requiratur ejusdem contactus physicus? Respondet P. Quarti *loc. cit. dub. 7. num. 213.* sufficere contactum morale, qui censetur intervenire, quoties aqua quæ acceptatur à personis, ad quas dirigitur, signo aliquo, ex gr. inclinatione, aut simili gestu: vel si fiat aspersio super res insensibiles, quoties intentio aspergentis ad eas dirigitur, quamvis aqua non pertingat physicè ad illas; tunc quia secundum ecclesie usum fieri solet aspersio hujusmodi aquæ, vel in choro super cleurum, vel in ecclesia super populum in tali distantia, ut vix aqua ad paucos pertingat, & tamen omnes censentur aspergi, & participes fructus inde provenientis; tum etiam à pari quia quando benedicuntur palmæ, vel candelæ &c. præsertim in magno numero, certum est aquam non pertingere ad singulos ramos, vel candelas, & tamen omnes censentur benedictæ, & aqua sanctificata; tum denique à simili, quia ad valorem, & effectum sacramenti Ordinis sufficit contactus moralis materiae, juxta probabilem morem sententiam.

Quæritur quinto: Quale peccatum sit aquam benedictam profanare, si quis ex gr. citra scandalum tamen aut contemptum, aqua benedicta uteretur ad humectandum atramentarium, scripturus præsertim res turpes aut peccaminosas? Respondit P. Coronelli in *Biblioth. univ. tom. 1. pag. 1090.* hoc, secundum aliquos, nullum fore peccatum lethale, quia ille abusus aquæ benedictæ fit solo animo humectandi atramentum; aqua vero suam omnino perdit benedictionem statim ac usum aquæ de-

FERRAR. BIBLIOTH. TOM. I.

perdit. Ita ex Castropal. *tom. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 6. n. 25.* Sed probabilius, ac tutius esse ait, hujusmodi abusum non posse fieri sine peccato lethali, tum propter indecentiam, atque irreverentiam gravem; tum quia, ex Azor. *part. 1. Instit. mor. lib. 9. c. 9. quest. 7. id,* quod cultui divino consecratum est, non debet in usum profanum, & multo minus peccaminosum converti; Cassian. à S. Elia *vers. Aqua §. 4.*

Quæritur sexto: An usus aquæ benedictæ sit prohibitus excommunicatis? Aliqui docent esse prohibitum ita, ut venialiter peccet excommunicatus, si ea se aspergat, quia privatur communibus ecclesie suffragiis, inter quæ numeratur aqua benedicta, quippe quæ totam vim suam habet ex meritis, & intercessionibus ecclesie; Bonac. de *excommun. disp. 2. quest. 2. §. 2. n. 9.* Alii tamen cum P. Quarti *cit. dub. 8. n. 214.* sustinent, tamquam probabilius, quod quamvis excommunicati non possint aqua benedicta uti, tamquam bono communi, seu communi ecclesie suffragio, videlicet ad consequendos ejus effectus ex meritis ecclesie, à quibus sunt exclusi, possunt nihilominus ea uti, tamquam re sacra, & instrumentum suæ privatæ devotionis, sicut possunt uti signo crucis, rosario, vel corona B. V. tunstione peccatoris, & aliis similibus rebus sacris, quarum aliquæ inter sacramentalia computantur.

Quæritur septimo: An tempore Interdicti fieri possit aspersio aquæ benedictæ? Respondet P. Coronelli *l. c. pag. 1092.* posse fieri, dummodo populus sine ulla solemnitate aspergatur; Sayr. de *cons. lib. 5. c. 6.* Tabiena *vers. Aqua n. 5. & 23.* Cassian. à S. Elia *vers. Aqua §. 3.*

Quæritur ultimo: Utrum aqua benedicta vendi possit sine labe simoniæ? Respondet P. Raymundus *tom. 16. in Heteroclit. Spirit. sect. 2. punct. 5.* eam non posse vendi pretio majore, eo quod sit consecrata. Sic enim admittetur simonia, ut rectè statuit Mich. Lochmayer in *Parochiali Curia. tit. ult. & Gul. Redoan. tract. de Simon. part. 3. c. 18.* P. Valentia *tom. 3. disp. 6. quest. 16. punct. 2. quest. 5.* negat aquam benedictam, etiam ratione materiae, & eam venditionem damnat simonia. Marsilius Columna in *Hydragiol. sect. 2. cap. 7. n. 45.* anceps videtur, an facultas portandi aquam benedictam vendi possit; quamvis ait esse aliquorum sententiam, quod ea facultas vendi possit. Verum quod aqua benedicta, quatenus elementum, sit vendibilis, est communis sententia ut notat Suar. de *Simon. c. 14. n. 6. 7. & 10.* Neque sanè est fundamentum idoneum asserendi eam elementi invendibilitatem, quia ut sic non est res sacra. Undè sicut calix consecratus, quamvis non possit vendi ratione consecrationis, potest tamen vendi quatenus aureus, vel argenteus; ita & aqua. Et idem est de materia remota sacramentorum, quam constat vendi posse, ut rectè statuit Suarez de *Simon. cap. 11. num. 2.* retundens c. 14. à num. 5. varias distinctiones, sub quibus aliqui Doctores asseruerunt, sacramentalia vendi non posse quoad materiam, contrarium adstruens, ut simpliciter verum. ¶

ARBITER, ARBITRATOR.

SUMMARIUM.

- 1 *Arbiter* quid sit, & quotuplex, ad num. 6.
- 7 *Arbitri juris necessarii, & voluntarii in quo differant*, ad num. 12.
- 13 *Arbitratores quinam sint, & in quo differant ab arbitris*, ad num. 18.
- 19 *Arbiter in quo differat à iudice*, ad num. 22.
- 23 *In arbitros compromittere quis possit*.
- 24 *Arbiter quis esse possit*, ad num. 35.
- 26 *Compromissum an fieri possit in iudicem etiam respectu cause coram ipso agitate*, ad num. 37.
- 38 *In arbitros an fieri possit compromissum, & quorum arbitrio standum sit in decisione cause*, ad n. 44.
- 45 *De quibus, & qualiter arbitri ferre possint arbitrium*, ad num. 54.